Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1703

Quelle:
Copyright:

XXVIII. *fol.* 222. p. 2. *Vtrum pollucio nocturnalis impediat eukaristie sumpcionem.* Decidit Quaestio distinguendo, ut oportet.

XXIX. *fol.* 223. absque Titulo spuria illa *Bernhardo* tributa *Formula honestae vitae*, quae infit: *Petis a me karissime mi frater, quod nunquam* &c. et saepius relata fuit.

XXX. *fol.* 224. Sermones II. contra ebrietatem ad marginem infimum *Augustino* tributi, quorum prior infit: *Licet propicio deo fratres karissimi, credam vos ebrietatis malum* &c. Alter vero: *Frequenter fratres karissimi karitatem vestram paterna karitate amonui* &c. Extant quidem in *Append. Opp.* T. V. edit. *Maur. coll.* 490. et 493. sed ad *Caesarium* pertinent, ut ibi. Jam etiam a nobis relatus posterior *Cod.* CCLXXVII.

XXX. *fol.* 228. ad finem Excerpta e variis PP. puta *Augustino, Bernhardo, Remigio, Hieronymo, Joh. Chrysostomo* &c. homiletica.

CCCCXXXIII.

891 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 186. f. partim per duas columnas exaratus, rubricisque distinctus continet I. *Tractatulum Contra Bullas.* Est is *Joh. Hussi*, et in edit. *Opp.* 1715. T. I. p. 215. inscribitur *Quaestio de Indulgentiis sive de Cruciata Papae Johannis XXIII. fulminata contra Ladislaum Apuliae Regem*, ut videlicet Tituli in ea Editione crispari solent. Initium: *Triplici re ad presens negocium vrgeor* &c. Abrumpitur ante finem in responso *ad Quintum* his verbis: *false sibi primitus adulantes.* Indicatus jam alias.

II. *fol.* 12. p. 2. *Secuntur Auctoritates de Creare.* Sub hac inscriptione latet Ejusdem *Opusculum* dictum *de sex Erroribus*, quod retulimus jam alibi bohemice, et latine. Incipit: *Augustinus super Genesin ad literam* &c.

III. *fol.* 19. p. 2. praemisso Indice, absque titulo Ejusdem *Tractatus de Ecclesia*, ut alibi. Initium itaque: *Cum quilibet viator debet fideliter credere* &c. *Wiclefum* magistrum audire te credas. Ad calcem: *A bus Naconczy.*

IV. *fol.* 91. Fragmentum *Decretalium Gregorii* IX. Incipit: *Pernicioſus in tuis partibus inolevit abuſus* &c. Finit in *Lucii* III. Decretis *de Simonia.* Fragmentum istud errore compingentis huc trajectum est; *fol.* enim 103. sequitur verum initium a Praefatione in Jus Can. quae orditur: *Corpus Juris diuiditur in Canonicum Jus et Jus ciuile* &c. et non nisi *fol.* 114. emenso antecedens illud subjungi debet.

V. *fol.* 115. absque titulo et Autoris nomine *Joh. Wiclefi* Tractatus *de Simonia*, qui incipit: *Sententia tractatus de symonia capitulariter sic habetur* &c. et relatus jam est *Cod.* CCCXL. et alias. Una cum infelici Districho ad calcem, quod et hic recurrit,